

jurisdictionem penitus amittat. Affirmativae sententiae studet Bellarminus de Rom. Pontifice lib. 2 cap. 30, eamque vocat « sententiam omnium veterum Patrum. Neque valet, » inquit, « quod quidam respondent, istos Patres loqui secundum antiqua jura, nunc autem ex decreto Concilii Constantiensis non amittere jurisdictionem, nisi nominatim excommunicatos et percussores clericorum. Hoc, inquam, nihil valet; nam Patres illi, cum dicunt haereticos amittere jurisdictionem, non allegant jura humana quae etiam forte tunc nulla exstabant de hac re, sed argumentantur ex natura haeresis. Concilium autem Constantiense non loquitur nisi de excommunicatis, id est de his qui per sententiam Ecclesiae amiserunt jurisdictionem: haeretici etiam ante excommunicationem sunt extra Ecclesiam et privati omni jurisdictione, sunt enim proprio judicio condemnati, ut docet Apostolus ad Tim. 3, hoc est praecisi a corpore Ecclesiae sine excommunicatione uti Hieronymus exponit. » Itaque Bellarminus et Doctores omnes quibus haec sententia arridet, non ex vi censurae, aut alia lege ecclesiastica vel divina positiva, sed ex vi solius haeresis manifestum haeticum jurisdictione privati contendunt. At Suarez in Tract. de Fide sect. 5 disp. 21 aliter sentit: « Quia, » inquit, « fides non est fundamentum omnino necessarium jurisdictionis ecclesiasticae. Probatur autem: 1. Quia absolutio data ab haeretico in extrema necessitate est valida, ut habet communis doctrina; ergo habet jurisdictionem. 2. Quia alias per haeresim mentalem amitteretur jurisdictione etiam Pontificalis: est autem absurdissimum et contra rectam Ecclesiae institutionem, quia alias Papa v. gr. qui semel incideret in haeresim mentalem, deberet renuntiare Pontificatui, vel in illo permanere ficte et sine vera jurisdictione, quorum primum est moraliter impossibile, et secundum Ecclesiae perniciosum. Et hoc incommodum fere eodem modo sequitur, etiamsi id asseratur de haeresi externa per accidens occulta, et applicari potest ad Episcopos et alios Pastores et

Judices Ecclesiae. Unde etiam repugnat illa doctrina antiquae Ecclesiae consuetudini, quae Episcopos haereticos retractantes haeresim aliquando in suis muneribus et dignitatibus recipiebat sine nova Episcopatus concessione, ut ex Conciliis Nicaeno et Chalcedonensi colligitur, et ex cap. CONVENIENTIBUS CUM ALIIS CAUS. 1 quaest. 7; ergo signum est ex vi solius haeresis non amitti Episcopatum vel jurisdictionem ejus. » Ex his sententia Suaresii videtur et majori pondere rationum praedita, et magis ab Auctoribus recepta esse. Contrariis vero argumentis responderi poterit potestatem Ordinis fundari in baptismo et characterе Sacerdotali, potestatem autem jurisdictionem in baptismo et ministerio ecclesiastico, quod aliquis rite acceperit, et quemadmodum potestas Ordinis ab haeretico manifesto vel quovis alio amitti non poterit, quia character indelebilis est, ita etiam potestas jurisdictionis a manifesto haeretico non amittitur, donec ministerium ecclesiasticum aut propria voluntate dimiserit, aut eo legitimo spoliatus fuerit. Et quidem explorati juris est, neminem jurisdictione sua privari, nisi voluntate propria, spontanea scilicet abdicatione, aut extra voluntatem propriam auctoritate Ecclesiae per quam ecclesiastico ministerio et jurisdictione exuatur. Quoties igitur haeticus manifestus neque potestati suae nuntium miserit, neque ab Ecclesia privatus extiterit, jurisdictionem retinet, et saltem hoc ipso ad externum Ecclesiae corpus aliqua ratione pertinet, ratione scilicet ipsius ecclesiastici ministerii quod adhuc possidet.

Apposite Sylvius in 22 quaest. 39 art. 3 inquit: « Verius videtur, quod Episcopi, Parochi et alii Clerici non amittant jurisdictionem ipso facto, quo ipsorum schisma vel haeresis manifestetur; sed tunc demum, quando vel nominatim vel publice denuntiantur excommunicati, vel ob istud crimen alia in ipsos fertur per Ecclesiam sententia, vel ultro ipsi manifesteque recedunt ab eo beneficio vel officio quod habent ad haeticorum aut schismaticorum conventicula transeuntes.

In Synodo enim VIII can. 10 statutum fuit. « Ut nullus Clericus ante diligentem examinationem et Synodicam sententiam a communione proprii Patriarchae se separet, licet criminalem quamlibet causam ejus se nosse praetendat, nec recuset nomen ipsius referre inter divina mysteria. Idem statimus de Episcopis erga proprios Metropolitans, et de Metropolitans circa Patriarcham suam. » Ergo hujusmodi Episcopis, quamvis revera schismaticis, manet sua jurisdictio usque ad sententiam sive excommunicationis, sive aliam, nisi se ipsos antea segregent, et altare contra altare palam erigant; alioquin male juberentur Clerici, ut cum illis communicent, utpote jurisdictione carentibus et per consequens invalide absolventibus, caeteraque omnia jurisdictionem requirentia exercentibus. » Et paucis interjectis: « Respondeo, » inquit, « haereticos et schismaticos esse quidem extra Ecclesiam etiam seposita excommunicatione, sed non propterea privati jurisdictione; nam Ecclesia quae illis jurisdictionem dedit per Summum Pontificem aliosque Praelatos, eam ipsis continuat ad evitanda scandala et animarum pericula donec declarentur vel sponte recedant. Quare non oportet hic inseparabilia habere, esse extra Ecclesiam, et esse privatum jurisdictione, quia haeretici et schismatici occulti, imo et alii excommunicati sunt extra Ecclesiam, neque tamen existimandum est, quod omnes illi ante sententiam Judicis sint privati jurisdictione. »

§ 234.

DE COMMUNICATIONE CUM HAERETICIS.

Sed jam de consortio cum haereticis breviter dicendum est. Antiqui Canones pleni sunt sanctionum atque poenarum quibus Catholicorum consortia cum haereticis vetabantur, et Opera SS. Patrum plena sunt monitionum atque exhortationum quibus fideles ab eisdem consortiis arcentur. At vero,

ut observat Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. 6 cap. 5: « per Canonem concilii Constantiensis a Martino V approbatum, qui incipit AD EVITANDA, quique semper in suo vigore permansit, non obstantibus contrariis subsequentibus Constitutionibus Conciliorum Basileensis et Lateranensis non nihil relaxata fuit disciplina in eo quod pertinet ad conversandum atque etiam in divinis communicandum cum haereticis, qui tolerantur et expresse denunciati non sunt tanquam vitandi. » Ex quo manifestum est non amplius ex lege ecclesiastica, neque vi excommunicationis in haereticos a jure inflictæ vetitam esse cum haeretico manifesto communionem, nisi is fuerit expresse et nominatim denunciatus et a corpore Ecclesiae penitus resecatus. Verum aliqui Doctores putant eam communionem cum publico et manifesto haeretico, quamvis non denunciatio, si non ex censura ac lege ecclesiastica, at certe jure ipso divino prohiberi. Equidem video neminem dubitantem, quin nefas sit cum haereticis communicare in tribus casibus: 1. Si communicetur in ipsa doctrina, in ritibus haereticis, aliave in re ob quam communicans vel haeretico, vel graviter de sua fide suspectus habeatur. 2. Si ex communicatione periculum perversionis immineat, aut Catholicae Religionis contemptus. 3. Si aliquod scandalum oriatur. Rem totam egregie explicat Suarez de triplici virtute disp. 21 sect. 1: « Est autem haec prohibitio naturalis vel quatenus ad ipsammet fidem, vel ad charitatem spectat. Ratione fidei: 1. ac praecipue prohibita est communicatio cum haeretico in ipsa doctrina. 2. Prohibetur etiam communicatio in externis ritibus haereticis, quod non solum ad fidem sed etiam ad Religionem spectat. 3. Prohibetur tanta familiaritas cum haereticis, ut communicantem reddat de sua fide suspectum. 1. Ad vitandum scandalum proprium, ne quis in suo periculo errandi se constituat. 2. Ad vitandum scandalum proximorum, qui in illo exemplo facile ad familiarem communicationem inducerentur. 3. Ad vitandum nocumentum ipsiusmet haeretici, qui per hujusmodi

communicationem fit audacior et in suo errore pertinacior. » Extra hujusmodi casus et concurrente gravissima causa aliqui Doctores autumant communicationem non solum in rebus civilibus, verumetiam in divinis permissam esse. « Haud equidem ignoramus, » ait Benedictus XIV cit. loc. « non deesse Theologos ab omni culpa absolventes Catholicos qui cum haereticis et schismaticis nominatim non denunciatis communicant in divinis, atque etiam Sacramenta ab eisdem recipiunt, dummodo hae simul concurrant rerum circumstantiae : 1. Scilicet ut ad praedictam communicationem Catholicos adigat gravissima et urgentissima causa. 2. Ut haeretici aut schismatici, a quibus Sacramenta exposcunt, sint valide ordinati, ut sacra administrent ritu catholico absque ulla admistione ritus damnati. 3. Ut communicatio cum eisdem in divinis non sit externa protestatio falsi dogmatis. 4. Demum ut nulli scandalum ingerat. Verum in primis praedicta Theologorum sententia suos habet adversarios, neque ab omnibus admittitur tanquam in praxi segura : dein ea etiam admissa, quum omnes enumeratae circumstantiae simul et conjunctim adesse debeant, ut Catholicorum cum heterodoxis in rebus sacris societas omni vacet culpa, idcirco fere impossibile est usuvenire, ut a flagitio excusari valeant Catholicos sese in rebus sacris societas omni vacet culpa, idcirco fere impossibile est usuvenire, ut a flagitio excusari valeant Catholicos sese in rebus sacris cum haereticis vel schismaticis admiscentes. » Confer Instructionem de Communicatione in divinis Catholicorum cum haereticis et schismaticis editam a S. Congregatione de Propaganda Fide pro Missionariis Orientis, quae incipit Cum SAEPE, et Responsum Congregationis S. Officii super dubiis propositis a quodam Missionario Civitatis Tenos, quam utramque refert Giraldi in Expositione Juris Pontificii ad titulum 39 lib. 5 Decretalium super caput NULLI 8 de Sentent. excommunic., ex quibus sententia laudati Pontificis mire comprobatur, quod videlicet, et si *speculative* possit aliquis casus

excogitari, in quo ea communicatio licere videatur, *practice* tamen circumspectis omnium rerum circumstantiis, difficile admodum sit et moraliter impossibile casum aliquem inveniri, in quo cum haereticis sine ullo crimine communicetur. Tantum materialis praesentia haereticorum vel schismaticorum precibus ac ritibus catholicis tolerari potest, modo tamen in eisdem functionibus nec proprios ritus adhibeant, nec ritibus Catholicis se immisceant, aliter enim non licet, nec ullo pacto permittenda est.

§ 235.

DE SCHISMATE.

Schisma fit cum aliquis per contemptum et inobedientiam a legitimis Pastoribus se dividit; unde Hieronymus in Ep. ad Titum recte ait : « Inter haeresim et schisma hoc esse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habet, schisma propter Episcopalem discessionem ab Ecclesia separat. » Igitur utrumque delictum hominem segregat ab Ecclesia Catholica, alterum per desertionem a fide, alterum per desertionem ab obedientia et subjectione. Verumtamen schisma sine aliqua haeresi vix ullum est, tum quia schismati facile sibi persuadent extra Ecclesiae unitatem salutem dari quod aperta haeresis est, tum quia « aliquam sibi confingunt haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videantur, » quemadmodum subdit Hieronymus cit. loc. At vero triplex schismatis species distingui potest *specialis*, *particularis*, et *universalis*. *Specialis* est, quando aliquis a propria Ecclesia suoque Episcopo cum Apostolica Sede communionem habente se injuste separat et subesse omnino recusat. Hujus generis schismatici si Clerici sint, deponuntur; si laici, extra Ecclesiam projiciuntur. *Particularis* est, ubi peculiare Ecclesiae inter se dissociantur, quod si fiat salva unitate tum fidei, tum communionis cum universalis Ecclesiae

Capite Romano Pontifice, proprie schisma non est, sed potius voluntatum et opinionum dissidium et alienatio. *Universale* schisma est, dum aliqua Ecclesia, Episcopus, vel fidelis quilibet subjectionem et obedientiam Romano Pontifici denegat: hoc enim ipso ab Ecclesiae unitate discedit, quum Ecclesiae conjunctus esse nequeat qui ab ejus Capite et centro unitatis disjunctus est. Hinc S. Thomas 2 2 quaest. 39 art. 1 tradit: « Schismatici dicuntur qui subesse renuunt Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant.

Schismatici proprie dicti eisdem ferme poenis ac haeretici afficiuntur. Itemque de communionem cum schismaticis in rebus sacris, deque validitate actuum Ecclesiasticae jurisdictionis quam exeruerint, eadem plane locum habent quae his de rebus respectu haeticorum dicta sunt. Ordinationes etiam a schismaticis factae illegitimae et sacrilegae omnino sunt; si tamen Schismatici valide ordinati fuerint, et in Ordinibus conferendis catholicum ritum adhibeant, Ordinationes valent quia character semel receptus etiam in Schismaticis, haeticis, excommunicatis vitandis, depositis, intrusis, simoniacis, aliisque maximis peccatoribus indelebilis manet; unde fit ut nec potestas Ordinis quae, uti loquuntur Theologi, in charactere radicatur, adimi possit neque ullo pacto aboleri. Quamobrem ea quaestio, de qua olim disputatum est, utrum ab haeticis ordinati, iterum ordinandi sint, pendet a quaestione facti, an primi a fide deficientes rite ordinati fuerint, et an quae ad substantiam Ordinationis pertinent, in subsequentibus Ordinationibus fuerint observata. At vero ordinati ab haeticis, schismaticis, aliisque ejus generis Episcopis « vulneratum per eam manus impositionem habent caput, » ut loquitur Innocentius I in Ep. ad Rufum et Episcopos Macedoniae, quia usum Ordinis non recipiunt, sed vinculo suspensionis obstricti permanent, et irregularitati propterea obnoxii si ipsos Ordines exeruerint. Hoc sensu hujusmodi Ordinationes in aliqui-

bus Canonibus dicuntur irritae, quantum scilicet exercitium Ordinum spectat, non validam eorum collationem.

§ 236.

DE SIMONIA.

Religioni et Sacrarum rerum venerationi insigniter repugnat Simonia, seu spiritualium rerum cum temporalibus permutatio. Primus hujus sceleris auctor Simon Magus fuisse dicitur, a quo Simoniae nomen dictum est. « Hic enim, » ut habemus Act. cap. 8, « Apostolis obtulit pecuniam, dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum; cui Petrus statim respondit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. »

At latiori significatione Simonia dicitur, non solum si res spiritualis aut spirituali adnexa, ex. gr. Sacramenta, Sanctorum Reliquiae, jurisdictio spiritualis et hujusmodi, pro re temporali detur aut accipiatur, verumetiam si res spiritualis cum spirituali, veluti beneficium pro beneficio, vel temporalis pro temporali contra legem ecclesiasticam in commercium adducatur. Nomine rei temporalis hoc loco intelliguntur res illae quae neque spirituales sunt neque spiritualibus adnexae, sed aliquam tamen relationem aut ordinem habent ad rem spiritualem, uti officia OEconomi, Sacristae, Advocati, et alia ejus generis quae ad temporalium Ecclesiae rerum administrationem ordinantur. Haec itaque officia propter periculum et speciem quamdam Simoniae pretio conferri nequeunt, quatenus Ecclesia ob motivum Religionis, nempe ob dignitatem rei spiritualis ad quam referuntur, sub poenis adversus Simoniacos constitutis vetuit in turpem quaestum adduci. Ob eam causam a Jure ecclesiastico sub poenis simoniae vetita est resignatio ecclesiastici Beneficii pacto convento, ut alteri

conferatur : « Renuntiare beneficium, » ait S. Antonius part. 2 tit. 1 cap. 5, « ut detur alteri, est simoniacum, quia prohibitum scilicet ex jure positivo. » Itemque pensionis per Superioris auctoritatem constitutae et assignatae cassatio per anticipatas solutiones, venditio Chrismatis, Olei Cathecumenorum vel Infirmorum, Sepulturae, et rerum aliarum hujus generis, quamvis solius materiae pretium tribuatur. Ad hoc simoniae genus refertur etiam acceptio pecuniae, aut rei alterius etiam sponte oblatae pro examine ad Parochiales Ecclesias; quod graviter prohibuit Tridentinum de Reform. 18, ne scilicet Examinatores « quidquam prorsus occasione hujus examinis ante vel post accipiant. » Dum igitur res spiritualis aut spirituali adnexa pro re temporali datur aut promittitur, Simonia juris divini et naturalis dicitur, adeoque prohibetur quia mala est, ac juri naturali divinoque repugnans. Dum autem res spiritualis pro spirituali, et res temporalis pro temporali datur vel accipitur, Simonia juris humani et ecclesiastici censetur, quia ex sola juris humani et ecclesiastici prohibitione mala est. Primum itaque Simoniae genus ulla dispensatione humana haud licitum effici potest; in altero dempta per Superioris auctoritatem ecclesiastica prohibitione omne vitium Simoniae perimitur, et actus fit validus atque licitus, veluti si beneficium resignetur cum reservatione pensionis, si duo beneficia auctoritate Pontificis permutentur. Hujusmodi enim resignationes, permutationes tanquam simoniacae, et sub poenis Simoniae a jure ecclesiastico tantum prohibentur, ne propria auctoritate fiant, cap. QUAESITUM 5, et cap. OLIM 7 de Rerum permutat. Sylvius in 22 quaest. 100 a 1. « Sunt, » inquit, « Auctores qui distinctionem allatam non approbant existimantes nullam esse Simoniam, quae jure tantum humano prohibetur. Verum discordia videtur esse de nomine. Non enim asseritur, quod aliqua sit Simonia in qua proprie et perfecte competat ratio Simoniae, et tamen solum prohibeatur jure humano, sed dicitur esse aliquod vi-

tium habens similitudinem, et participans imperfectam rationem Simoniae; quod ideo vocatur Simonia non naturali, sed positivo jure prohibita. »

Utraque Simonia partitur in *mentalem, conventionalem et realem*. Mentalis est internus voluntatis actus, quo quis per simulationem alteri rem spiritualem confert ea intentione, ut eundem obstringat ad reddendum aliquid temporale, aut vice versa aliquid temporale alteri offert aut praestat spe et intentione rem spiritualem, puta beneficium, ab eo impetrandi: et ideo mentalis dicitur, quia nullo expresso aut tacito pacto malitia simoniacae intentionis se prodit exterius, sed in solo animo continetur. Quum autem Ecclesia de internis actibus non judicet, hinc adversus mentalem Simoniam nulla a jure ecclesiastico poena statuta est. Conventionalis est externa conventio sive tacita sive expressa dandi vel recipiendi aliquid spirituale pro temporali et vice versa, quae conventio si adhuc ex neutra parte pro traditione rei completa sit, Simonia pure conventionalis, si vero ex una parte traditio perfecta fuerit, Simonia conventionalis mista nuncupatur. Nulla in Jure Canonico adversus Simoniam sive pure conventionalem, sive conventionalem mistam, poena perspicue expressa reperitur. Quamobrem in odiosis benigniorem legis interpretationem facientes nullam poenam inflictam esse, sed omnem Judicis arbitrio relictam affirmamus. Actus tamen per Simoniam conventionalem gesti jure non consistere generatim existimantur, ut si ex. gr. conventa pecunia licet nondum numerata permutatum aut resignatum sit beneficium, talis permutatio vel resignatio nulla omnino et inanis habetur; quam sententiam amplexa est S. Rota in *Paderbonens. Beneficii* 10 Maii 1747 coram Molino.

Tandem realis Simonia est conventio utrinque perfecta saltem inchoative, dum ex. gr. reapse ab una parte res spiritualis data est, ex alia autem aut tota, aut saltem pars conventi pretii soluta fuerit.